Curae Annaeanae.

Pars prima.

Scripsit Georg Hess.

Beilage zum Programm des Königlichen Christianeums
zu
Altona.

Altona.
Druck von Peter Meyer.

1887. Progr. Nr. 259.

Curas quasdam Annaeanas quod publici iuris facturus sum, non me fugit ante omnia veniam esse petendam eius quod opusculo indidi nominis. Quod cum tam late pateat, ut iusto iure possis putare inscriptione illa comprehendi studia, quae et in rhetoris et in poetae et in philosophi Senecae libris versentur, id quod iam ex me quaesitum est, hac certe quidem prima parte nil aliud conabor nisi aliquot locos aut percensere aut emendare epistularum 1—29 Senecae philosophi, quas quidem epistulas constat omnium maxime et rebus et forma inter se congruere eaque vel una re ab ceteris differre, quod uni fere cuique earum [1]) additamentum aliquod vel munusculum alius cuiusdam philosophi maximeque Epicuri verbo vel pluribus verbis ornatum adicitur, addamque perpaucas ex illis epistulas in nostrum sermonem conversas explicatasque. Nam cum mihi persuasum sit in iis commentationibus, quae programmatis ludorum superioris ordinis adiungi solent, quam maxime id spectandum esse, ut et ex litterarum fontibus haustum aliquid hominibus doctis proponatur et permagno ei numero, quorum illos ludos litterarum studiis florere aliquid interest, stimuli ad optimas artes magni faciendas colendasque admoveantur, quoniam nonnullis abhinc annis denuo in Senecae philosophiam incidi vel prius a me dilectam, optime me facturum esse putavi, si officio meo ita satisfacerem, ut et verbis epistularum Senecae accuratius perpensis, quid aliquot locis scribendum esset, doctis conarer probare, et ingeniosissimi illius philosophi sententiis in hominum memoriam redactis significarem, quantum ex eius sapientia fructum communium litterarum et politioris humanitatis studiosi percipere possint. Quam rem quo aequius suum cuique tribuendo absolverem, in priore huius disputatiunculae parte sermone latino, nostro in posteriore utendum esse putavi. Quod si non reformidarem sesquipedalem verborum circuitum, poteram saltem accuratius inscribere „Adnotationes criticae ad L. Annaei Senecae epistulas XXVIIII priores adiecta nonnullarum conversione et explicatione“. Sunt tamen sua etiam brevitati iura, quibus qui utatur eum non frustra veniam petiturum spero.

Neque vero in metu fui, ne actam rem agerem fluctusve excitarem in simpulo. Primum enim cum multis rebus, quae ad Senecae philosophiam pertinent, nuper felicissime opera sit navata [2]) cumque alii Senecae philosophi libri nuperrime elegantiore et emendatiore forma sint editi ac dialogi quidem qui dicuntur duabus editionibus (curaverunt Koch-Vahlen et Gertz), in epistularum verbis adhuc fere Fickerti et Haasii in opera standum est, qui quam multa corrigenda reliquerint, neminem fugiet, qui illa studia amplexus erit. Itaque donec is, qui eruditis aliquando iam gustum dedit peritissimae et elegantissimae

---

[1]) Martens, de L. Annaei Senecae vita, dicit (p. 49) tres epistulas 1, 3, 9, excipiendas esse. Sed vere nulla nisi prima epistula excipienda est. Nam tertiae Pomponii versus pro munusculo additi sunt, nonae Stilbonis illud *Omnia mea mecum sunt,* ad quod etiam aliorum sententiae similes accedunt. — [2]) A nullo fere melius hoc factum putaverim quam ab Fr. Schultessio (De L. Ann. Senecae quaestionibus naturalibus et epistulis. Bonnae 1872), qui quantum lucis quaestionibus de ordine atque tempore illorum librorum obortis attulerit doleo nequaquam satis esse cognitum.

curae epistularum Senecae [1]), cuius unius opera docti omnes librum illum optimam in formam redigi posse sperant, extremam operi exoptatissimo manum admoverit, non frustra elaborabit, cuicunque continget, ut et inventa aliorum, in quibus nemo melius de Senecae epistulis meruit, quam Haupt et Madvig, probabilem in modum examinare et de suo aliquid mentione dignum videatur addere. Quod ut mihi ex sententia succedat, maxime optaverim.

Deinde haud scio an ne illud quidem sit operam perdere, si quis eis, qui, quanquam ipsi aliis in litteris aliove in vitae genere occupati sunt, tamen veterum sapientiam in deliciis habent, quasi digito velit commonstrare fontes, unde aliquid delectationis possint haurire. Ac philosophia quidem Senecae non dubito quin dignissima sit, quae etiam atque etiam in hominum memoriam reducatur. Nam quamvis elumbis interdum fractaque videatur eius oratio, quam Caligula olim suo iure arenam sine calce esse aiebat [2]), quamvis ille multus sit in eadem sententia quam plurimum versanda ac similibus exemplis testimoniis coagmentatis illustranda, id tamen nemo, qui aequum iudicium facere velit, non concedet et principem eum quondam fuisse eruditionis minimeque miratorem inanium [3]) et neminem unquam philosophum aut Graecum aut Romanum tam prope ad Christianorum doctrinam maximeque ad illam quae in vita moribusque versatur accessisse, quod quomodo factum sit etiam nunc difficillimos habet explicatus atque adeo satis enucleari posse vix unquam videtur [4]). Sed cum Seneca olim multo maiore floruerit gratia atque etiam gymnasiorum discipulis non semel propositus sit, quod ab eo optima ad vitae discrimina arma peti posse putarentur, nunc fere non modo in aliquo numero sed ne notus quidem est. Itaque operae pretium videtur esse aliquid pro virili parte conferre, ut in eo, quo par est, dignitatis gradu iterum collocetur.

Ceterum in aliorum inventis percensendis eorum tantum rationem habebo, quae etiam nunc alicuius videntur esse momenti, neque quidquam, cuius mentione in universum aliquid profici possit, me omisisse spero, multa tamen, quae leviora aut vix dubia sunt, missa faciam. In afferendis Senecae verbis Haasii et lectionem et numerorum computationem secutus sum, nisi aperte aliud admonui.

I.

Ep. 1, 1. *maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus*] Madvig [5]) (II. 461 sq.) inverso ordine *magna . . . . . . maxima* cum veteribus editoribus scribendum esse putavit, quod duplex gradatio in verbis esset Putat enim Senecae non potuisse in mentem venire, quamvis austere iudicanti, maiorem partem vitae in male agendo quam in nihil agendo consumi. At vix cuiquam poterit probare a male agendo, quod pessimum sit, procedi ad nihil agendum tanquam minus, ad aliud agendum, tanquam minime malum. Immo cum Senecae chartae plenissimae sint querelarum, quibus philosophus strenuam, qua illa exercebatur aetas, inertiam et aliud agendi cupiditatem vellicat, tum vero ex dial. 10, 12 sq. apparet, quam acerbe nonnulla certe eius genera perstringat, quibus implicari Fabianus philosophus dubitavit an peius esset quam nullis studiis admoveri (13, 9). Adversus alteram Madvigii rationem etiam illud facit, quod ibi (12, 8) scriptum est *tantum incredibilium vitiorum copia ingenioso in hoc unum saeculo processit, ut iam mimorum arguere possimus neglegentiam* (cf. d. 9, 12). Ceterum si genuina olim lectio *maxima . . . . magna* erat, vix intellegitur, cur optimi codices eam non retinuerint, cum haec certe orationis forma elegantiorem speciem prae se ferat: contra si verborum illorum ordo inversus erat, facillime eorum, qui peiores codices exaraverunt, aliquis grammatica ratione potuit adduci, ut orationem magis conaretur concinnare. Senecae autem oratio hoc loco proprie est bipertita alterumque membrum ipsum quoque bipartitum. Omnes putat tota vita aliud agere i. e. veram

---

[1]) Fr. Buecheler, Senecae epistulas aliquot ex Bambergensi et Argentoratensi codicibus edidit Bonnae 1879. — [2]) Suet. Calig. 53. — [3]) Plin. nat. hist. 14, 51. — [4]) Quae J. Kreyher (Seneca und seine Beziehungen zum Urchristentum, 1887) contulit, iis quidem videtur probari aliquid saltem ex Christianorum doctrina ad Senecae aures pervenisse, sed quod Senecam Pauli apostoli consuetudine utentem facit ac Theophilum illum Lucae evangelistae proprie Senecam fuisse contendit, vereor, ne doctorum irrisione ludatur. — [5]) Adversaria critica 2 tt. Hauniae 1871. 1873.

sapientiam non sectari, at plerosque etiam maxima vel magna vitae parte male vel nihil agere. Illud certe poterat dicere is cui vere sapiens tanquam phoenix semel anno quingentesimo videtur nasci (ep. 42, 1), hoc non videbatur quadrare in sapientem illum secundae notae qualem ipsum se existimavit (ep. 57, 3. 89, 2. d. 7, 17 sqq. 12, 5, 2 sqq.), quippe qui sapientiae esset studiosissimus. Quod si prius de magna insipientium multitudine verba facere instituit, initium facere eum oportebat ab iis, qui plures essent, a perverse agentibus, non a desidibus.

1, 2. *Dum differtur vita, transcurrit.*] Sic omnes, quod sciam, libri impressi. Quid vero? vita ipsa num potest differri? Immo vero, quamdiu quis est, vivitur, sive bene sive male. Potest vita vere vitalis, quae virtute continetur, possunt ea, quibus vita maxime ornatur, differri: ipsa per se vita non magis potest differri quam spiritus anhelatio, quam sanguinis motus. Itaque interpungendum est: *Dum differtur, vita transcurrit*, ut *differtur* aut absolute dictum sit (wenn man [immer] aufschiebt) aut ad hodiernum, quod antecedit, referendum sit (wenn man immer die heutige Aufgabe aufschiebt, läuft das Leben ab).

1, 3. *tempus tantum nostrum est, in huius rei unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua expellit quicunque vult.*] Sic est in optimis codicibus. Tamen haud scio an cum multis aliis haud spernendae auctoritatis scribendum sit: *ex qua non expellitur, quicunque vult.* Quid enim? qui antea Lucilium laudaverat, quod tempus colligeret, eumque ut ita faceret admonuerat (§ 1), qui postea omnia aliena, tempus tantum nostrum esse confirmavit (§ 3), poteratne is uno spiritu addere ex illius quoque rei possessione quemlibet posse expellere? Dicet aliquis: fugax et lubrica res cum sit tempus, mirum non est, quod aliquando expellamur. At non quicunque vult ex illius rei, quae una vere nostra est, possessione nos expellit, sed quem ipsi expellere patiamur. Ceterum non ob eam causam tam fugax res est tempus, quod alii in eam invadunt, sed quod „fugit irreparabile tempus“, quod *hoc, quod futurum dico, cum maxime fit et pars eius magna iam facta est* (ep. 120, 18). Ne illud quidem verum est ad ea quae sequuntur, quibus quam parvi homines temporis usum faciant, exponitur, vulgata lectione melius transiri. Nam si nemo negabit hanc sententiam, qua probetur homines tempus minimi aestimare, illi, qua tempus unum vere nostrum esse doceatur, mirum quantum adversari, etiam concedendum est melius illud contrarium ita addi, ut non raptim enuntiato relativo *qua expellit, quicunque vult,* sed iusto sui iuris enuntiato primario adiungatur. Quod igitur sequitur *Et tanta stultitia est hominum*, „et“ coniunctio, ut saepissime apud Senecam, interpretanda est *„et tamen“* [1]) (sc. tempore a natura accepto nemo ita utitur, ut aliquid se debere sentiat). Iam ulcus illo loco latere magna codicum discrepantia est argumento.

3, 5. *Sic utrosque reprehendas, et eos qui semper inquieti sunt, et eos qui semper quiescunt.*] Madvig (II, 463) non eiusdem haec epistulae esse opinatus est, cuius sunt quae antecedunt de amicitia: transire enim Senecam ab amicitia ad prorsus aliam rem, otiosam quietem et inquietam concursationem. Sed cum antea (§ 4) ille dixerit duplex esse in amicitia vitium et eorum, qui quicquid eos urat, in quaslibet aures exonerent, et eorum, qui vix sibi credituri interius premant omne secretum, satis apparet etiam in amicitia perstringi et inquietam trepidationem et quietam taciturnitatem.

4, 1. *propera, quo diutius frui emandato animo et composito possis*] Haupt [2]) correxit *citius*, ut mihi videtur, ingeniosius quam rectius. Nam cum Lucilius certe, ad quem Senecae epistulae sunt datae, sperare posset se, quo citius, eo diutius ea sapientia, quam adeptus esset, ut sua fruiturum esse, non est, ne in sequentibus quidem, cur facias adversus ll. mss.

4, 2. *maius exspecta, cum puerilem animum deposueris et te in viros philosophia transscripserit.*] Vix mihi videtur dubium esse, quin scribendum sit *et te in viros transscripseris.* Nam non solum, qui optimus putatur, cod. p., sed etiam plures alii habent *transscripseris*, *philosophia* autem additamentum alicuius librarii videtur esse, qui, cum putaret non satis posse intellegi Senecam, quamquam antea de vera

---

[1]) Vide Rossbach, Disquisitionum de Senecae filii scriptis criticarum capita II. Vratislaviae 1882. p. 10 sq. — [2]) Haupt, Opuscula. Lipsiae 1876. t. II p. 276.

toga virili dixisset, hic non de vera transscriptione agere, sed similitudine uti, legentes illo vocabulo adiecto de sententia admonendos curavit. Vulgata autem lectio audacior est, quam ex ipsius Senecae consuetudine est. Nam quanquam sescenta ille de philosophia praedicavit, tamen nunquam ita eam hominum in modum agentem fingit, ut quasi scribae vice fungi possit. Quae enim proxime ad hanc similitudinis audaciam videntur accedere, aut in personae informatione ornatissima dicuntur, ut ep. 53, 9, aut, velut illud *Vis scire, quid philosophia promittat generi humano* (ep. 48, 7), vel *facere docet philosophia, non dicere, et hoc exigit, ut . . . . quisque vivat* (ep. 20, 2), alia id genus, multo sunt moderatius dicta, quod promittere, docere, exigere saepissime dicuntur non tantum homines, sed etiam res, transscribere unus potest homo, ac ne in thesauris quidem verborum sub voce „transscribere" ullum invenitur vestigium significationis tam putide tralaticiae. Ceterum in tota epistula philosophiae nulla usquam praeterea fit mentio.

5, 2. *Asperum cultum et intonsum caput et neglegentiorem barbam et indictum argento odium et cubile humi stratum et quicquid aliud ambitio[nem] perversa via sequitur,*]. Quod in codicibus est, ferri non posse arbitratus Haase mutatum voluit *ambitio*, quod certe melius est. Sed dubito an praestet *ambitionem perversam sequitur* omisso *via*. Qua ex lectione quam facile infelici alucinantis manus ductu adiecta una alterave littera mutari potuerit *peruersauia*, nemo non videt. Interesse autem aliquid inter ambitionem magni animi et ambitionem insanam docent d. 3. 21, 3. 9, 15, 1.

5, 7. *Dices: quomodo ista tam diversa pariter sunt?*"] Non iniucundum est admonere duos viros doctos suopte utrumque ingenio videri in eandem coniecturam incidisse elegantem et probabilem *eant* pro *sunt*, quod sequitur *incedunt* et *ire*. Sunt R. Volkmann [1]) et Koch. [2])

6, 5. *mittam itaque ipsos tibi libros*] Malim *istos*, quod Seneca Lucilium, ad quem epistula est data, supra libros illos poscentem fecerat. Itaque cum „iste" pronomen sit *δευτερότριτον*, ut ait scholiasta quidam, optime Seneca poterat dicere „illos a te flagitatos libros". Ipsos cur dicat libros, cum nulli rei opponantur, non est causa.

8, 1. *„Tu me, inquis, vitare turbam iubes . . .? ubi illa praecepta vestra, quae imperant in actu mori?" Quod ego tibi videor interim suadere, in hoc me recondidi et fores clusi, ut prodesse pluribus possem.*] Locum corruptum esse et librarii complures putaverunt, qui scripserunt *Quid, quod* aut *Quid enim* pro *Quod* et Muretus qui coniecit *Quid? ego tibi videor inertiam suadere?* Haud displicet utraque opinatio. Lenius tamen poterit sanari locus ordine sic mutato: *Interim quod ego tibi videor suadere, in hoc me recondidi* sq. Sic enim et *interim* coniunctio prope facta, qua Seneca haud raro pro „sed" vel „tamen" utitur, saepissime primo enuntiati loco (vide Rauschning) [3]), suam habet iustamque vim, quam non habet in lectione recepta, et magis apparet, quam sit contraria opinio Lucilii, qui sibi maxime illud praeceptum datum esse putat, sententiae Senecae, qui ipsum se quoque illud sequi confirmat. Quam saepe autem verba a librariis transposita sint, satis constat.

8, 4. *In praecipitia cursus iste deducit. huius eminentis vitae exitus cadere est. deinde ne resistere quidem licet, cum coepit transversos agere felicitas aut saltem rectis, aut semel ruere: non vertit fortuna, sed cernulat et allidit.*] Locus permultum vexatus satis indicat, quam dolendum sit, quod ope destituti simus codicis p. Ac primum quidem *huius* mihi ita suspectum est, ut pro additamento librarii habendum esse censeam. Nam cum cursus iste idem sit, quod eminens vita, nulla profecto est causa, cur *iste* pronomini opponatur *huius*. At librarius aliquis, cum vereretur, ne legentes Senecam ad aliud transire existimarent, monendum putavit de eadem re dici. Deinde *aut saltem rectis aut semel ruere,* quod iam a Schweighäusero [4]) receptum et a Ianio [5]) prope enucleatum est, tam docte ab Hauptio (II, 318 sq.) defenditur, ut, qui Haasii editionem alteram curavit, optimo illud iure receperit, quanquam comma videtur oblitus esse post *felicitas*, non post *rectis*, ponendum. Quam male habitus sit locus qui

[1]) Gratul. gymn. Pyr. 1861. — [2]) Observationes criticae in L. Ann. Sen. Numburgi 1874. p. 20. — [3]) De latinitate L. Ann. Sen. Regimonti 1872, p. 61 sq. — [4]) L. Ann. Sen. epp. Argentorati 1809, II, p. 287. — [5]) Jahns Jahrbücher 37. Bd. S. 11 f.

accuratius velit intellegere, inspiciat observata et a Fickerto et a Richtero [1]). *evertit* maluit Madvig (II, 462) quam *vertit*, iniuria ille quidem, quod Seneca dicit fortunam non tantum vitae conditionem virorum eminentium mutare, sed etiam profligare eos. *cernuat* multi voluerunt, ut nonnulli apud Fickertum, Richter, Haupt, Madvig, ne hoc quidem recte, cum cernuare videatur esse verbum intransitivum, ut omnia fere verba exeuntia in — uare, *cernulare*, quanquam est *ἅπαξ εἰρημένον* — quidni sit? — poterat duci ab adiectivo cernulus (Appul. metam. 9, 38) et ob eam causam praeferri, quod vi est magis transitiva.

8, 10. *Hoc non imputo in solutum de tuo tibi.*] Non omnibus haec lectio videtur satisfecisse. Fickert enim aliique sic scribunt: *Hoc non imputo in solutum, de tuo tibi*, vel similiter, ut indicent *de tuo tibi* non pendere ex *solutum*. Gruter autem coniecit ultima verba sic mutanda esse: *do tuum tibi*. Legendum esse puto *Hoc non imputo solutum de tuo tibi*. Seneca dicit se Lucilii versus, qui antecedunt, nolle in debitae mercedulae loco numerare, quoniam de ipsa Lucilii copia sint persoluti. Fefellit eos, qui Senecae libros ediderunt, nusquam fere nisi in Digestis scriptum esse „imputare in aliquam rem" velut in quartam partem hereditatis (Ulp. 17, 2, 52) contra sescenties in argentea latinitate absolute illud verbum usurpari, qua de re non pauca adnotavit Draeger ad Tac. Hist. 1, 38. 3, 86. (cf. interpretes ad Germ. 1, 21.) Praeterea in recepta lectione non satis intelleguntur „de tuo tibi". Non possunt enim pertinere ad *solutum*, quod Seneca tum diceret „Hoc non pro mercedula de tuo tibi soluta habeo", id quod ineptum est. Neque aliter se habeat, si pronominibus illis praefracte disiunctis interpretari velimus „Hoc tibi non imputo ut mercedulam de tuo solutam". Iam cum haec *de tuo* non possint pertinere ad *non imputo*, nihil restat, nisi ut Fickertum secuti illa verba *de tuo tibi* quasi enuntiati loco habeamus, ut valeant „quoniam de tuo tibi datum est". Quod qui volunt, videant, si *in* retineatur quemadmodum arti grammaticae satisfaciant: equidem, qui fiat, non capio. At facillime per dittographiam, quae saepissime invenitur in Senecae codicibus ex *imputo* potuit elici abundans „in" praepositio, praesertim si quis librarius iuris peritorum illam locutionem memoria tenuit.

9, 2. *In ambiguitatem incidendum est, si exprimere apathian uno verbo cito voluerimus.*] Dubito an recto talo non stet *cito*. Nam de celeriter vertendo vocabulo vix poterat agi. Nescio tamen, quid proponam: *fortuito* vel *temere* certe ad sententiam optime est accommodatum, sed nimis distat ab eo, quod in ll. mss. est. Magis placeret *strictim*, si Annaeanum esse posset putari.

9, 12. *„Non agitur, inquis, nunc de hoc, an amicitia propter se ipsam appetenda sit". Immo vero nihil magis probandum est. nam si propter se ipsam expetenda est, potest ad illam accedere, qui se ipso contentus est.*] Sic Haase, quem Madvig (II, 463) iure reprehendit, quod supplementum sit secutus ab Opsopoeo positum, cuius vestigium in uno tantum codice apparet. Sed quae ipse proposuit Madvig *Non agitur . . . ipsam expetenda sit, sed possitne ad eam sapiens accedere. Imo agitur; nam si propter se ipsam expetenda est, potest ad illam accedere, qui* sq., ea non minus quam Haasii lectio iusto codicum fundamento carent et ab usitata Senecae breviloquentia aliena sunt. Melius Trittler [2]) ita correxit, ut post *expetenda sit* scriberet *Sed si est, quinam potest ad illam accedere is qui . . .* sq. At si vestigia sequemur optimi codicis p, in quo videtur esse *Sed potest ad illam* sq. et comparabimus, quae alii ll. mss. afferunt, paulo probabilius erit scribere *Sed, si est, potest ad illam accedere, qui* sq.

9, 17. *Ad amicitiam fert illum nulla utilitas sua, sed naturalis irritatio. nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiae et adpetitio societatis. quomodo solitudo in odium est, quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos amicitiarum adpetentes faciat.*] Sic Haase qui transposuit *adpetitio societatis*, quod olim erat post *in odium est*. Ingeniose sane locum curaverunt et Haupt (II, 8) et Madvig (II, 464) cum scriberent . . . . *sic amicitiae, quomodo solitudinis odium est et adpetitio societatis, quomodo* sq. Tamen nescio an etiam haec per salebras repant ac vix eleganter dicatur *quomodo . . . . odium est* sq. Vide ne scribendum sit *Ad*

---

[1]) Jahns Jahrbücher 87, 574 ff. — [2]) Jahns Jahrbücher 99, S. 506.

amicitiam fert illum nulla utilitas sua, sed naturalis irritatio et appetitio societatis. quomodo solitudo in odium est sq.

12, 5. *iucundissima est aetas devexa iam, non tamen praeceps. et illam quoque in extrema regula stantem iudico habere suas voluptates.*] Quid sibi velit Seneca et totius epistulae ex argumento satis cognoscitur et ex locis similibus ut 26, 1 *inter decrepitos me numera et extrema tangentes.* Quali autem similitudine usus sit, cum maxime anquiritur. Nam quae Lipsius et ad hunc locum et ad 49, 4 *„quia admoveri lineas sentio“* adfert, ea quidem probant Senecam potuisse de extrema linea verba facere ut Graeci saepissime γραμμῇ usi sint, sed *„regula“* lectionem minime commendant. Nam ad regulam aliquid corrigi dicitur (ep. 11, 10) non regulis tanquam terminis aliquid circumscribi. Poterat igitur prope potius videri *„tegula“*, id quod nonnullorum codicum auctoritate defensum Lipsius sic conatus est interpretari „quasi lapsui vicinam. Nam instabile ibi et suspensum vestigium, in extremis dico tectis. Alii ad guttam adspectum putant, quae casura adhuc ibi pendet“. Tamen et ille, non nescius, quam putida sit interpretatio, hoc reprobat et Madvig, qui dubitat, an scribendum sit „specula“ (Adv. II, 464) additque „quasi ad mortem prospiciens“, ut ne illud quidem prorsus appareat, utrum parvulam aliquam spem an speculandi locum dictum velit. Utrumque tamen claudicat. Vix dubito quin corrigendum sit *in extrema rerum linea stantem*, ut est apud Horatium ep. 1, 16, 79 *Mors ultima linea rerum est.* Haec enim lectio et sescentis illis locis commendatur, quibus linea significat terminum aliquem, calcem, finem, et quod facillime librarii alicuius alucinantis opera fieri potuit, ut *rerum linea* corrumperetur in *regula.*

12, 7. [Heraclitus . . . . *„unus dies*, inquit, *par omni est“*. Hoc alius aliter excepit: dixit enim parem esse horis, nec mentitur . . .] *Alius ait parem esse unum diem omnibus similitudine: nihil enim habet longissimi temporis spatium, quod non et in uno die invenias, lucem et noctem et [in] alternas mundi vices: plura facit ista non alia, alias contractior, alias productior.*] Dici vix potest, quantopere hic locus sit vexatus. Commenti quidem sunt alii alia. Legit Lipsius: [*vices.*] *Planiora facit ista nox, alias contractior, alias productior,* Gronov *et in alternas mundi vices plura facit ista non alia, alias contractior, alias productior,* quem, ut alii, Fickert secutus est. Sed, quid ista omnia sibi velint, ut intellegatur, magico opus est et interprete et lectore. Ne multus sim in re manifesta: omnibus communi sensu praeditis, quam confusa sint verba, ultro apparebit. Sententia vero haec est: Quod Heraclitus dicit, unum diem omni parem esse, alii ita interpretantur, ut contendant lucis noctisque vicissitudine parem esse, quo in genere ne longissimo quidem temporis spatio, puta innumerabilium annorum, quidquam mutetur, cum illa sibi semper constet vicissitudo: nihil effici nisi ut compluries repetatur. Quod ut demonstraret, poterat Seneca scribere: *plura facit ista, non alia* [sc. longissimi temporis spatium]: *dies* [tantum] *contractior, alias productior*, et sunt in ll. mss. vestigia, quibus haec lectio probari possit. Multo tamen verisimilius est verba *alias contractior, alias productior* nihil nisi oscitantis librarii additamentum esse, qui locum sibi difficilem sic ingeniose videbatur enucleàsse. Cui rei illud quoque documento videtur esse, quod in permultis codicibus deest „alia“, in nonnullis „alias“, quod sequitur. Nempe olim legebatur, *plura facit ista, non alia,* quae subsequebatur σχόλιον *dies contractior, alias productior,* et cum litterarum ductus in vocibus *„dies“* et *„alias“* sint similes, magna inde verborum confusio in codices videtur profluxisse.

13, 5. *aut fingimus aut praecipimus.*] Etiam alio loco in illa epistula iustum sententiarum ordinem turbatum esse admonuit Bartsch *), cum ea, quae in fine § 4 leguntur *Illud tibi praecipio* sq. in fine sequentis paragraphi collocanda esse doceret. Correxit eum Schultess (l. l. 42) cum iustius illa verba ad finem § 7 relegaret. Quae cum ita sint, non videtur mirum esse etiam, quae supra posuimus, mutato ordine esse legenda. Antecedunt enim *Quaedam ergo nos magis torquent quam debent. quaedam ante torquent quam debent, quaedam torquent, cum omnino non debeant.* Itaque Seneca, cum orationem quamvis fractam multum tamen concinnet, non inverso ordine videtur scripsisse, quod vulgo sequitur, sed *aut augemus dolorem aut praecipimus aut fingimus.* Nam praecipitur dolor, qui ante torquet, quam debet, fingitur, qui

*) Progr. Ankl. 1870, S. 9 ff.

omnino non debet. Quibuscum conveniunt etiam quae sequuntur. Nam postquam § 6 vani doloris notione comprehensus est et is qui praecipitur et is qui fingitur, disertis verbis exponitur § 7—11, cur futuro i. e. praecepto dolore angi stultum sit, nec minus diserte inde ab § 12 explicatur, quomodo animus torqueatur falsa fingendo.

13, 13. *nemo dicit: „vanus auctor est* [sc. timor] . . . . .“ *damus nos rei ferendos.*] Sic Haase, cum tamen dubitaret an scribendum esset *damus nos timori ferendos.* Perperam, ut videtur, praesertim cum in omnibus fere codicibus melioris notae sit *nos referendos.* Haupt (II, 320) maluit *damus nos ferendos.* Quid vero obstat, quominus eadem ratione grammatica scribatur *damus nos re ferendos,* quod et librorum consensu defenditur et melius in rem videtur quadrare, quam quod Haase editioni suae inseruit. Nam *damus nos rei ferendos* hoc est „tradimus nos rei alicui, qua feramur“, quasi hoc nobis propositum sit, ut ipsa illa re abripiamur: contra *damus nos re ferendos* hoc est „indulgemus nobis ac dolori nostro, ut re fortasse adversa abripiamur non satis repugnantes.“

13, 14. *statim in timorem venit scrupulus. Pudet me ibi sic tecum loqui.*] Egregie correxit Haupt (II, 320 sqq.) *vertit* pro *venit,* sed ingeniosius quam verius *ibi* videtur mutavisse in *tui,* id quod iam Madvig reiecit (II, 465) propter „infinitivum adiectum verbo *pudet* cum genetivo posito“. Sed quae ipse illius loco proposuit *si vis* etiam minus placent. Putaverim aut *hic sic* scribendum esse, quod dubito an fastidiosior subtiliusque auritus librarius mutaverit in *ibi sic,* aut, id quod praestabilius videtur, simpliciter *sic,* quippe ex quo dittographiae corruptela facile potuerit oriri *hic sic* ac postea *ibi sic.*

14, 13. *Cato . . misit irritas voces, cum modo per populi levatus manus et obrutus sputis et [portandus] extra forum traderetur.*] Quid sibi vellet illud *portandus* cum non satis intellegeret Haase uncis inclusit, neque tamen explicavit, quemadmodum tam ineptum additamentum in libros potuerit irrepere. At multo veri similius est corruptum esse illud vocabulum. Vide ne scribendum sit *pulsatus,* nisi forte olim scriptum erat *mortui similis.*

14, 14. *postea videbimus, an sapienti opera perdenda sit.* Quod Madvig, cum intellegeret hic tantum quaeri, utrum sapienti a re publica esset recedendum, olim ingeniosissime correxit, *an sapienti opera r. p.* (i. e. rei publicae) *danda sit,* id Hertz non debuit ita mutare, ut *impendenda* scriberet pro *danda.* Nam earum, quae Madvig restituit, litterarum ductus multo sunt similiores iis, quae nunc leguntur, quam quae scribi voluit Hertz.

14, 15. *Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est.*] Quod ut explicet, Lipsius addit „A gladiatoribus est, quorum arma sic dicta“ et Ruhkopf docet galeam, loricam, scutum intellegi, non gladios telave. At quis unquam ei gladiatori artem constare putavit, qui aut armis tam male uteretur, ut ipsis percuteretur aut rem cum adversario tam male gessit, ut per arma ad corpus defendendum instituta se percuti pateretur? Quis denique ornamenta simpliciter pro armis dici credat, nisi qui credulitate delectetur? Immo vero *armamenta* putaverim legendum esse et similitudinem, ut saepissime apud Senecam, ab arte gubernandi esse desumptam. (cf. § 8, 4 et quae interprr. ibi afferunt.) Quamvis enim quis peritus sit artis navem regendi, tamen fieri potest, ut armamento aliquo, malo antennave, laedatur et percutiatur.

14, 16. *de eventu fortuna iudicat, cui de me sententiam non do. „At aliquid vexationis adfert, aliquid adversi.“ Non damnatur latro, cum occidit.*] Prope conclamatus est locus. Nam quod Schweighäuser mutavit „Non dominatur“ iam a Fickerto refutatum est, et quod Madvig Gronovium secutus scripsit *Non damnat* vix cuiquam satis placebit. Levissima mutatione scribendum puto *Non damnatior latro, cum occidit?* Concedit Seneca fortunam aliquid damni afferre posse sapienti, si quando, ut ab latrone, impetus in eum fiat. Hoc tamen quasi solacio adversarios conatur refellere, quod multo tamen maius damnum afferatur ei, qui alium percutiat, ut latroni. Eane splendida est confutatio eius, qui non solum Stoicorum vestigiis insistit, sed etiam Socratis putantis infortunatiorem esse eum, qui iniuriam inferat, quam cui inferatur?

15, 4 sq. *quod libet ex his elige. usu redde facile. Quicquid facies, cito redi a corpore ad*

animum.] Sic Haase. Suadet in iis, quae antecedunt, Seneca Lucilio, ut exercitationibus facilibus et brevibus utatur, quae corpus sine mora lassent et tempori parcant, earumque exempla adfert cursum, motas manus, saltus duo genera. Tum sequuntur ea, quae supra scripta sunt. Quae cum ita sint, quantopere Haasii coniectura claudicet, ex ipsa sententiarum continuatione apparet. Quomodo enim is, qui disertis verbis illas exercitationes faciles et breves dicat, quasi uno spiritu usu tantum faciles eas reddi contendat? quomodo, qui cito a corpore ad animum redeundum esse admoneat, tamen usum i. e. saepissime repetitam exercitationem commendet? Neque magis placet, quod Fickert nonnullorum codicum vestigia et Schweighäuserum secutus scripsit, *usu rude facile,* quod proverbii loco fuisse putat. At non solum eiusmodi verbum ignotum est, sed etiam usus multaeque exercitationis commendatio plane ab Senecae sententia abhorret. Madvig (l. l. 465) coniecit *usurus ex facili,* ingeniose ille quidem, sed elegantius quam simplicius. Sed optime, nisi fallor, verba constituentur, dummodo optimi codicis p aliquam rationem habeamus, in quo scriptum est *usum rudem facilem* idque suo pondere examinemus, quod non solum multi cum illo libri manuscripti faciunt, verum etiam *rudem facilem,* vel mutato ordine *facilem rudem* etiam plurimi alii habent, qui praemittunt *usu.* Ne multa: scribendum esse puto *quod libet ex his elige vel rudem facilem.* Suadet igitur Seneca, ut Lucilius vel iis utatur exercitationibus, quas ipse Seneca faciles esse cognovit, vel rude facili, quod genus armorum tum usitatum erat non solum gladiatoribus ad artem discendam, sed etiam apud nobiles Romanos. (Suet. Calig. 32 cf. Sen. ep. 18, 8 *Exerceamur ad palum.)* Cum tamen fieri potuerit, ut Seneca eius modi exercitatione non admodum delectaretur, illud tantummodo tanquam priorum supplementum addidit. Sed cum librarius aliquis nesciret, quid esset rudis, sententiamque non intellegeret, neglegentia eius videtur factum esse, ut levissima litterarum declinatione non „uel", sed „usu" scriberetur.

15, 6 sqq. *Gestatio . . . . studio non obficit: possis legere, possis dictare, possis loqui, possis audire, quorum nihil ne ambulatio quidem vetat fieri. Nec tu intentionem vocis contempseris, quam veto te per gradus et certos modos extollere, deinde deprimere. Quid si velis deinde quomadmodum ambules discere? admitte istos, quos nova artificia docuit fames: erit, qui gradus tuos temperet et buccas edentis observet . . .*] Tam deperditus hic locus Haasio est visus, ut nulla re nisi transpositione curandum eum esse censeret. Putavit enim vir optimus inde a verbis *Nec tu* usque ad verba *deinde deprimere* non agi de loquendo in ambulatione sed tantum de subtili quodam vocis cultu. At verisimillum est in omnibus eis, quae allata sunt, etiam de ambulando tradi praecepta, id quod ne Madvig quidem videtur sensisse, quanquam optimo iure Haasii transpositioni refragatur. Mutandum tamen esse arbitror 1) *ad certos modos* — non vult Seneca spiritum ad certos ingredientis modos et duci et reddi, gradusque intellegit non tam vocem temperantis quam corpus latusque in ambulando moventis, quae coniectura haud scio an Fickerto invito in annotatione exciderit: 2) *deinde reprimere* — interest enim inter reprimere vocem et deprimere vocem: hoc facit, qui vocem propter demissum animum vel similem animi commotionem remittit, illud, qui cavet, ne vox nimium insurgat curatque, ut recreari possit, id quod ambulantem maxime decet. ceterum d e in d e d e primere est *κακοφωνία,* fortasse ex dittographia oborta *): 3) *buccas euntis* — perstringit enim Seneca novum aliquod phonascorum genus, qui, haud scio an Demosthenis exemplum secuti, discipulorum vocem etiam in ambulando formarent, buccarum quoque motum in eundo observantes, ut erant aestimatores fastidiosi. *Edentis* vero *buccas* quomodo interpretemur hoc loco, vel *buccas et dentes,* ut cum Grutero voluit Schweighäuser, vereor ne possit dicere nemo. — Quas mutationes certe facillimas qui probaverit, facile concedet orationem aequabiliter ita profluere, ut nunquam ab ambulandi praeceptis recedat.

15, 8. *Ergo utcunque impetus tibi animi suaserit, modo vehementius fac vicinis convicium, modo lentius, prout vox quoque te hortabitur et latus. modesta, cum recipies illam revocarisque,*

*) in optimae notae codice p scriptum est *premere, reprimere* est in nonnullis codicibus, quorum auctoritas non prorsus spernenda videtur.

descendat, non decidat. moderatoris sui temperamentum habeat nec indocto et rustico more desaeviat. non enim id agimus, ut exerceatur vox, sed ut exerceat.] Quantam haec verba suspicionem moveant, vel ex eorum farragine, quae in codicibus scripta sunt, vel ex eius, qui haec accuratissime perpendit, Madvigii, lectionibus cognoveris. Is enim scripsit 1) *fac vitiis*, 2) *In elatis modesta*, 3) *receperis*, 4) *media oris vi eat nec* . . . Sed ne haec quidem omnia satis possunt placere.

1) Neque de vicinis antea, neque de vitiis agitur, cum Seneca nolit Lucilium aut rixatorem facere aut aretalogum adversus vitia declamantem, sed adhortetur, id quod pauci tantum interpretes, ut Schweighäuser, videntur tenuisse, ut ambulans etiam voce exercenda valetudini prospiciat. Itaque neque *vicinis* neque *vitiis* ullo modo potest ferri. Dubito an scribendum sit *via(m) iniens* vel *via eundo.* Si velim audaciore coniectura augurari, quid Seneca scripserit, possim proponere *viando*, cum Quintilianus (inst. or. 8, 6, 33) dicat „vio“ pro „eo“ infelicius esse dictum neque absurdum sit putare, quod ante Quintilianum illud vocabulum certa sede nusquam inveniatur, Senecam maxime his verbis a suo vituperatore castigari. At *fac convicium* fere idem esse quod „declama“ vel „pronuntia“ iam Schweighäuser vidit.

2) Altera mutatione Madvig opus esse putat, quod in illis litteris aliquid voci descendenti contrarium latere oporteat. Sed cum illud, quod desideratur, satis lateat in verbis *fac convicium*, non opus est Madvigii coniectura satis eleganti.

3) *receperis* cum optimo codice p scribendum esse apparet.

4) Quod quarto Madvig loco admonuit, id multo melius esse quam Haasii lectionem vix quisquam negabit. Legitur enim in optimo codice p *mediatorisui habeat*, in aliis, qui illi proximi sunt *mediatoris sui habeat.* Sed cur reprobemus illud, quod etiam propius ad illorum codicum similitudinem accedit *mediam* [ortum ex *mediā*]*oris vim* [*vī*] *habeat* (scil. vox). Quod quin eodem iure dicatur, quo Madvigii illud „media oris vi eat“, quis est qui dubitet, si modo, quam late habendi et nomen et vis serpat, habeat perspectum?

15, 10. *Detraxi tibi non pusillum negotii. una mercedula et munus graecum ad haec beneficia accedet. ecce insigne praeceptum* sq.] Nonnullorum codicum vestigia secutus atque e suis quaedam addens Madvig scribendum putavit *Detraxit tibi non pusillum negotii una mercedula et unum pretium. Ad haec beneficia accedit, ecce, insigne praeceptum*, additque ludere Senecam, tanquam mercedula et pretium sibi a Lucilio solutum sit. Quod ut ingeniosum habeatur, tamen vide ne difficilius intellegatur. Codicum autem quorundam auctoritas in loco tam vexato vix magni potest esse momenti. *Detraxit tibi* quod optima auctoritate defenditur, certe ex litterae dittographia potuit oriri. Unum illud haud scio an ex Haasii scriptura mutandum sit *gratum* pro *graecum*, quod et graecam mercedulam illam esse Seneca quamvis saepe iusto iure potuerit, tamen in nulla usquam alia epistula addiderit, et in hac epistula Seneca videatur ludere vocabulis „ingrata“ (§ 10) et „gratus“ (§ 11).

15, 12. *Finem constitue, quem transire ne possis quidem, si velis.*] Argute Madvig (I, 51 sq.): *ne si possis quidem, velis*, quod „potestatem finem transeundi ipsi constituere non possumus, voluntatem in certo fine consistendi . . . praestare nostrum sit. Et possunt sescenta exempla afferri eius modi errorum, qui transpositione verborum sunt orti, saepissimeque abundans invenitur „ne si . . . quidem“ sensu „ne tum quidem, si . . .“ Sed propter id ipsum verisimile non est librarios, quod notissimum fuit, mutasse. Praeterea illud additamentum quodammodo videtur frigere, quod per se apparet, quem quis finem transire non possit, eum ne velle quidem. Multo autem maius est, si quis eum vitae cursum teneat, ut etiamsi aliquando secum pugnans ad rerum fluxarum studium a sapientia, qua una summum bonum continetur, cupiat redire, tamen non possit, fortasse quod ab hominibus secessit, ut et Seneca fecerat, et Lucilius quodammodo facturus erat, quippe qui postea a Siciliae procuratione discesserit (cf. ep. 69). Quod ut faciat Seneca etiam hic videtur admonere iis, quae sequuntur verbis: *discedant aliquando ista insidiosa bona et sperantibus meliora quam adsecutis* sq. Multoque vehementius idem admonet epistula insequenti (17), cuius ab his verbis initium facit *Proice ista omnia* i. e. divitias omnesque res inanes, quae philo-

sophiae possint esse impedimento, ac disertis verbis Seneca Lucilium admonet, ut secedat ep. 18, 12. 19, 6 fin. et 11 init. 20, 6. 21. 22, 3. Itaque vulgata lectio tuenda est.

15, 12. *nunc haurientium sitim concitant* [sc. bona insidiosa]. *mutantur speciosi apparatus. et quid futuri temporis incerta sors volvit? quare potius a fortuna impetrem, ut det, quam a me, ne petam? quare autem petam? oblitus fragilitatis humanae congeram? in quid laborem?*] Egregie correxit Madvig *mittantur* et postea Fickerti vestigiis insistens *et, quod futuri temporis incerta sors volvit, quare potius* sq. In iis, quae sequuntur, paululum a Fickerto et Kochio [1]) deflectens sic legendum esse putaverim *quare autem petam? oblitus fragilitatis humanae congeram, in quod laborem?* Duplicem illam clausulam *petam?* multo alacriorem et meliorem esse, quam si alteri *petam* statim adiungatur *oblitus fragilitatis humanae* tunc demum interrogationis signo adiecto, quis est, quin sentiat?

16, 2. Non possum praetermittere Madvigii elegantissimam coniecturam. Optimi codices habent *Itaque tibi apud me pluribus verbis aut adfirmatis ne tam longis intellego te multum profecisse.* Quibus in verbis cum plurimi, ut ipse quoque Fickert et Haase, frustra elaboraverint, Madvig videtur rem acu tetigisse, cum sic scriberet: *Itaque tibi apud me pluribus verbis aut affirmatione iam nil opus: intellego te multum profecisse.* Vide quam diligenter et acute in corruptionis sede prope uniuscuiusque litterae ductum videatur spectasse. Nisi forte scribendum est *non opus est* (n̄ opus ē) quod haud scio an propius accedat ad *longis* quam quod Madvig voluit *nil opus*. Itemque rectissime Madvig vidit postea scribendum esse non quod vulgo receptum est *dicam tamen sententiam, (quod) iam de te spem habeo,* sed *dicam tamen quid sentiam: iam de te* sq. Minime tamen probandum est, quod G. Richter proposuit [2]) verba *Itaque non opus est tibi apud me pluribus verbis aut adfirmatione tam longa* sede mutata iam post verba *etiam incohata* esse inserenda.

17, 3. [Pauperem securum esse Seneca explicat.] *Cum classicum cecinit, scit non se peti. cum aliqua conclamatio est . . . non quid efferat, quaerit. aut si navigandum est, non strepunt portus . . . .*] Apparet *aut* coniunctionem non satis feliciter hic scriptam esse, cum quaelibet exempla afferantur, quibus pauperem curis vacuum esse probetur. Itaque cum in codice p, qui pro spectatissimo habetur, *ut* legatur, pro certo affirmaverim *vel* scribendum esse, quod et optime illud ad sententiam accommodatum est et nullas fere particulas nullaque vocabula saepius in ll. mss. saepius mutatas esse constet quam *ut* et *vel*.

17, 5. [Admonuerat Seneca Lucilium, ut tandem aliquando divitias consectari desineret. Pergit ea, quae contra dici possint, refellere.] *„Parare, inquis, unde vivam volo." Simul et parare disce: si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat.*] Locum corruptum esse vidit Haupt (II, 277) putavitque aliquid excidisse et hanc fere fuisse sententiam: *simul et parare unde moriare disce.* Ingeniose sane, sed dubitanter et nimia supplendi licentia Madvig scribit *simul et para et disce.* Multo tamen veri similius est scribendum esse *simul et vivere disce,* quod facile fieri potuit, ut, cum paulo supra scriptum sit *parare,* paulo infra *vivere*, alterum mutaretur altero. Quod cui non placuerit, legat *simul et parare disce vivere* non tam aptum illud quidem, quam quod primo loco posui, sed ipsum quoque ad sententiam prorsus accommodatum. Quibus lectionibus quam aequabilis efficiatur orationis cursus, in promptu est.

17, 6. *Et quod aliud erat illius patientiae* [sc. in obsidionibus spectatae] *praemium quam in arbitrium non cadere victoris? quanto hoc* [sc. philosophia] *maius est, quo promittitur perpetua libertas, nullius nec hominis nec dei timor: et quidem vel esurienti ad ista veniendum est.* Praemittatur Madvigium vix rectum vidisse, cum contenderet fortasse scribendum esse *Quanto hic maius est, quod promittitur.* Sed maximam suspicionem movet, quod sequitur, *et quidem* (sic Haase). Fickert minoris dignitatis codices secutus habet *equidem,* Madvig conicit *Ecquid,* in optimis codicibus est *haec quidem.* Quas quicunque lectiones consideraverit, non veniet ei in mentem vix ullas particulas saepius inter se esse commutatas, idque propter compendiorum illorum similitudinem quam *haec* et *hoc* et *hoc* iam supra bis

[1]) Neue Jahrbücher. B. 111, S. 724. — [2]) Jahns Neue Jahrbücher. 87, S. 574 ff.

— *ad hoc properantibus* (§ 6 in.) et *quanto hoc maius est* — esse **philosophiam? Quod si scribemus *hoc*** [Abl.] *quidem*, satis expedita erit oratio, id quod apparebit, si **philosophiam**, **quae quin intellegatur** non dubium est, suo loco ponamus pro *hoc*. Tum haec est **sententia**: **quanto philosophia maior est [quam** milites obsessi famemque tolerantis patientia], qua promittitur perpetua **libertas**, **nullius nec hominis nec** dei timor: hac quidem philosophia vel esurienti ad ista veniendum est [i. e. **ad illud praemium, quod est** in arbitrium non cadere victoris, philosophum per se venire necesse est, quando quidem unus philosophus sui semper iuris est, nunquam vincitur.] Ceterum non video, quemadmodum *ista*, quod optimi libri habent, si retineatur, aliter recte interpretari possis.

Addatur in paragrapho insequenti Madvigium satis iustam causam habuisse, cur *foedis* vellet scribere, non *foedius*, Kochium scite correxisse (l. l. 715 sq.) *quodque magis miseris*, pro *quoque*.

17, 8. *Ita est? cum omnia habueris . . . . ., ut ita dicam, additamentum.*] Haec puto transponenda esse post *me totum philosophiae dabo* (§ 5). Sed cum huius opusculi modum longe transierim, si totum sententiarum ordinem describere et accurate exponere velim, satis habeo indicare, quam facile tum oratio utroque loco currat. Tum enim sic scribendum est:

§ 5. [Seneca Lucilium facit disputantem:] *nondum habeo, quantum sat est. si ad illam summam pervenero, tunc me totum philosophiae dabo.* [Seneca:] *Ita est? cum omnia habueris, tunc habere et sapientiam voles? haec erit ultimum vitae instrumentum et ut dico additamentum? atqui nihil prius quam hoc parandum est. quod tu differs et post cetera paras, ab hoc incipiendum est.*] Notandum est, quam apte et composite indignationem interrogantis sequatur subtiliter exponentis plana vis „atqui“ coniunctione subiuncta.

§ 7 sq. *Non est ergo prius adquirendum: licet ad philosophiam etiam sine viatico pervenire. Tu vero sive aliquid habes: iam philosophare. unde enim scis, an iam nimis habeas? sive nihil: hoc prius quaere quam quicquam.*] Ut paulo uberius rem explicemus, hoc dicit: Licet saltem sine divitiis ad philosophiam venire, licet etiam diviti, dummodo iustam velit viam ingredi. Hoc vero certissimum est debere te recta via ad philosophiam contendere, sive dives, sive pauper es. Vide, quam singulari vi „vero“ coniunctio iniciatur, quam haud scio an in vulgato verborum ordine non habeat.

17, 10. Quod Bartsch (l. l. p. 19) voluit verba *tu locupletibus . . . . . sat est* transponenda esse post *nimis habeas* (§ 8) id me capere non posse confiteor ac prorsus reicio. Neque magis placet Madvigii coniectura. Cum enim in libris sit *idem autem omni seculo, quod sat est,* id quod et Haase scribit et v. Jan [1]) probat, Madvig scribit *idem a. o. seculo sat est.* At Seneca, quasi quaesitum esset, quid tandem iusto iure *satis* esse dicatur, indicat, id quaeri non opus esse, quod omni de illa re saeculo idem factum sit iudicium.

18, 7. *tunc . . . exsultabis dipondio satur et intelleges ad securitatem non opus esse fortuna: hoc enim, quod necessitati sat est, dat et irata.*] Maluit v. Jan [2]) nonnullos codices secutus *saturitatem*, quod ipsum scriptum est § 10 (cf. ep. 19, 7) *In hoc tu victu saturitatem esse putas?* Sed quod et abundantia quaedam tum notanda est, quippe cum antecedat *satur* et quod antea non solum panis vilis a Seneca laudatur sed etiam grabatus et sagum, quae certe ad saturitatem non pertinent, videtur praeferendum esse *securitatem* (quam Seneca etiam 20, 12 et 21, 1 laudat, cf. 22, 16), nisi forte olim scriptum fuit *hilaritatem*, quod etiam melius convenit cum *exsultabis*. Postea in optimo codice p scriptum est *debet et irata*, in multis *debet irata*. Optime correxit Haupt *dabit et irata*.

18, 11. *quod ne ad extrema quidem decretis timendum sit.* Vidit Madvig prorsus inauditum esse *ad extrema decretis* correxitque *deiectis*. Sed vereor ne haec quoque locutio satis usitata non sit, nec video hanc lectionem multo propius ad codicum commenta accedere quam quod sententia unice commendatur *damnatis*.

---

[1]) Symbolae, Schweinfurt 1839, p. 12. — [2]) Jahns Jahrb. 37, p. 13.

19, 3. *ut in extremu mergaris ac penitus recondaris.*] Madvig: *in extremo,* quod non hoc agatur, in quid se mergat, sed quando. Sed primum rarissime tantum, si unquam certa sede, invenitur *in extremo* pro *ad extremum,* tum *in extremo,* cui postea respondet *penitus,* non tam locum indicat, quo quis se recipiat, quam qua vehementia ab omni hominum societate vélit secedere.

19, 6. [Seneca postquam exposuit fore ut Lucilium maiora deinceps officia excipiant idque ex aliis alia, haec addit:] *Quis exitus erit? quid [ex]spectas, donec desinas? habere, quid cupias, nunquam erit tempus.*] Melius Madvig: *Quid exspectas? Donec d. h. q. cupias? nunquam erit tempus.* Sed praestare puto: *Quid spectas, donec desinas habere, quod cupias? Nunquam erit tempus.* Nam et in optimis codicibus P et p est *spectas* et *exspectas* videtur languidius dictum esse. Potest autem, quod proposui, dupliciter explicari, ut aut sit „Quas res sectaris, donec ad id perventum sit, ut desinas h. q. c.?" aut „Cur id agis, ut ad illud tempus pervenias, quo (donec) desinas h. q. c.?" Illud certe accommodatius est ad artis grammaticae praecepta, hoc audacius, sed haud scio an magis conveniens Senecae argutiarum sectatori.

Sequuntur haec: *Qualem dicimus seriem esse causarum ex quibus nectitur fatum, talem esse cupiditatum.* Contendit Madvig scribendum esse *esse scias* vel *esse puta,* quod non liceat supplere *dicimus,* cum ultima illa sententia non scholae decretum sit. At cur tandem Stoicorum nomine Seneca haec attulerit, non suo suique similium? Optimum vero est, quod a Schweighäusero receptum a Fickerto attentatum sed reiectum est: *talem et cupiditatum.* Namque *esse,* utpote supra scriptum, per dittographiam etiam in alterum locum iniuria irrepsisse quis est qui miretur?

19, 9. *vera in ipso eculeo docuit.*] Optime testatum *edocuit* cur non retineatur, non video.

19, 9 f. scribendum puto *contrahes,* non *contrahas* (sic Haase).

19, 10. Quod Madvig proposuit *voles, quod debeo, in aspero et probo accipere* — i. e. in monetis non detritis et pleni ponderis accipere — multo melius est, quam quod est apud Haasium *nec voles . . . . inprobo.*

19, 11. *ad conciliandos amicos.*] Quod *amicos* paulo ante invenitur, videtur melius esse cum Fickerto scribere *animos.*

20, 2. m. Haasii commenta cum nullo modo possint probari, iuvat a scriptura codicis p proficisci, quae est haec: *Facere docet philosophia non dicere, et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita us sit omnium actionum dissensione coloris sit.* P habet *unus . . . . actio dissenionum.* Vereor ne nulla possit proferri mutatio, quae omnibus numeris possit videri absoluta. v. Jan (l. l. 12 sq.) proposuit *ut ipsa inter se vita una, unus sit omnium actionum non dissentientium color,* quod nimis alienum est ab optima lectione. Haupt scribendum putavit *ne orationi vita dissentiat, ut ipsa intra se vita unius sit omnium actionum sine dissensione coloris,* Madvig eleganter sane *ne orationi vita dissentiat aut ipsa inter se vita, unus sit omnium actionum color,* additque *vita intra se* male dici, *sine* ab Hauptio parum probabiliter addi. Equidem putaverim *non* illud cur reiciatur non esse, immo optime scribi *ut ad legem suam quisque vivat, non orationi vita dissentiat,* tum scribendum esse *ut ipsa inter se vita unius sine actionum dissensione coloris sit* idque ut statuam maxime commoveor, quod *omnium* quamvis constanter allatum ab omnibus fere ll. mss. tamen facile ab compendio aliquo male intellecto in codice archetypo puto proficisci potuisse. nam „omnis, omni, omnium" saepissime duabus tribusve litteris scripta esse constat. Putaveram olim scribendum esse, *ut ipsa inter se vita unius in omnium actionum dissensione coloris sit* i. e. ut ipsius vitae unus sit color, quamvis dissimiles sint singulae actiones: sed quanquam hoc proxime ad codicum litteras accedere puto, tamen vereor ne a Senecae animo abhorreat, quod ille saepius docet omnes sapientis actiones consentire debere.

20, 10. sq. *magnus* [est] *ille, qui in divitiis pauper est. „Nescio, inquis, quomodo paupertatem iste laturus sit, si in illam inciderit." nec ego, Epicuri an aemulus iste pauper contempturus sit divitias.*] Sic olim Fickert, non sane fidenter, sed ordine verborum offensus, eumque secutus Haase aliique. In bonis

codicibus est: *angelus* pro *an aemulus.* Rectam loci corrigendi viam patefecit Madvig, cum scriberet *Epicure* (cf. ep. 97, 15) ac dubitanter adderet *vetus* pro *angelus.* Sed veterem pauperem nescio quid frigidi habere nemo non videt. Scribendum puto *nec ego, Epicure, an egenus* (vel *egens) iste pauper.* Nempe argute Seneca distinguit illum qui in divitiis pauper est (v. supra) i. e. qui quamvis dives pauperum in modum se gerit, et istum ab Epicuro laudatum, qui re vera egenus est.

21, 6. *Quoscunque in medium fortuna protulit, quicunque membra ac partes alienae potentiae fuerunt, horum gratia viguit.*] Monendum est Gloecknerum *) recte vidisse scribendum esse: *fuerunt.*

21, 9 sq. Orationem a librariis turbatam Haupt, qua erat sagacitate, ita constituit, ut maximam partem facile eleganterque currat, cum scribit *et sequor quod probo. eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut istis, qui ad illum confugiunt spe mala inducti, qui velamentum ab ipso se vitiorum suorum habituros existimant, probem quocumque ierint honeste esse vivendum. cum adieris hortulos et inscriptum videris hortulis „hospes, hic bene manebis . . . ." paratus erit istius domicilii custos . . . . et te polenta excipiet . . .* Sed quamvis illa ad sententiarum continuationem aptissima arrideant legentibus, tamen fatendum est codicum auctoritate defendi, si scribatur, quod ipsum certe nihil movet suspicionis *illa* et postea *qui velamenta ipsa* [i. e. illa ipsa Epicuri dicta] *vitiorum suorum habituros se existimant.* Nam quod „*se*" in plurimis libris hoc certe loco non invenitur, cui tandem videatur mirum cogitanti, quam facile inter „*s*" et „*e*" litteram potuerit excidere *se?* In extrema vero orationis parte vix ferendam esse traductionem *hortulos* — *hortulis* quis est quin videat? Ne ipsi quidem Hauptio haec ab omni parte satisfecerunt, ut *hortulis* fortasse abiciendum esse putaret. Itaque cum in multis ll. mss. praeter illud *adieritis* vel simile aliquid, quod Haupt mutavit in *adieris,* etiam sit *audierint* vel simile quid, quod facile potuit oriri ex *ac viderint* vel similibus verbis, puto scribendum esse *cum adieris hortulos ac videris inscriptum portae titulum* (cf. d. 7, 13, 3 *titulus itaque honestus eligatur et inscriptio excitans animum),* nisi olim fuit *in fronte titulum.*

22, 1. *Quaedam non nisi [praesenti a] praesente monstrantur.*] Recte vidit Schulthess (p. 43) simpliciter scribendum esse *praesenti,* collato *absentibus* § 2.

22, 11. *Omnes Zenones et Chrysippi moderata, honesta, tua suadebunt.*] In multis ll. mss. iisque etiam optimis videtur deesse *tua.* Contra a plurimis additur *et* post *moderata.* Qui „tua" scribunt, eos Fickert putat sic interpretari: quae vere sunt tua neque in alterius potestatem possunt venire idque Koch (l. l. 715) putat defendi posse aliis locis ut 72, 8 *laetitia fruitur maxima, continua, sua* 75, 18 *inaestimabile bonum est suum fieri.* Quasi vero ulla ratione vere concludi possit, ubi *suus* dicatur, ibi eodem iure *tuum* dici. Immo claudicat interpretatio, nec melius est, quod Madvig correxit *tuta.* Quando enim Stoicorum principes id egerunt, ut, quae tuta essent, non, quae virtutem decerent, praeciperent? Itaque scribendum est, ut voluit Fickert *moderata et honesta suadebant. tua* vero spurium in modum ex — *ta* et *sua* — videtur contaminatum.

22, 17. *quod inanes omnium bonorum sumus, vitae laboramus.*] Madvig: *usu vitae,* speciosius quam verius, nimia sagacitate in ll. mss. vitiis iudicandis inductus. Quis est enim, qui non videat facile inter —*us* et *ui*— excidere potuisse *usu.* At sententia infringitur. Primum enim in Madvigii verbis inest tautologia quaedam, quod, qui inanis est omnium bonorum, eum certe per se constat vitae usu laborare vel, ut ait Madvig, male ea usum esse. Deinde vero statuendum est Senecam antea exposuisse, quam perversum sit, si quis securus mori non possit, si in ipso limine securitatis, quam mors affert, sollicitus sit. Causam putat eam esse, quod cum ea, quae vere bona sint, homines sibi nondum comparaverint, quamvis senes laborent et contendant vivere, ut vitae beneficio bona illa possint acquirere. Itaque si quid addendum erat, debebat esse *in usum* (vitae). Sed cum laborare alicui rei etiam a Cicerone dicatur (in Verr. 2, 3, § 121) non est, cur Senecae argutias mutemus.

---

*) Quaest. Annaean. 1877. p. 9.

23, 3. *volo illam* [sc. laetitiam] *tibi domi nasci: nascitur si domus intra te ipsum sit.*] Cum Madvigio et P codice *modo* scribendum esse concedet, quicunque, quam putidum sit *domus*, sentiet.

23, 6. *conculca ista, quae extrinsecus splendent, quae tibi promittuntur ab alio vel ex alio: ad verum bonum specta et de tuo gaude.*] Sic Haase, qui ex p codice restituit *vel ex alio* adversus Fickertum, qui illa ibi deesse significat. v. Jan (l. l. 13) dubitat, an scribendum sit *vel ex alieno*. Sed videntur illa verba omnino omittenda esse. Rectissime enim opponuntur 1) *quae extrinsecus splendent — ad verum bonum*, 2) *ab alio — de tuo*, tertio vero orationis membro non est locus. At Haase nimia p codicis veneratione abripitur, ut antecedente loco, quamquam etiam, qui illum exaraverit, quod interdum misereat, dormitasse apparet. Contra paulo post recte mutavit Haase *brevi paenitendas* pro *breves, paenitendas* approbante Matthiaco*) ac suo iure postea scripsit *Ita dico: in praecipiti voluptas: ad dolorem vergit, nisi modum teneat.* Non est enim cur mutemus cum Madvigio *voluptas stat . . . . tenuit.*

24, 2. *et intelleges.*] Cum Fickerto delendum esse *et*, quod Haase ex p codice eruit, inde videtur effici, quod antecedit *propone et . . . . taxa.* Verisimile certe non est Senecam brevissimo intervallo post prius illud *et* eadem coniunctione prorsus alio sensu usum esse.

24, 3. *Nec diu exempla . . . colligenda sunt: omnis illa aetas tulit. in quamcunque partem . . . . memoriam miseris, occurrent tibi ingenia aut profectus aut impetus magni.*] Habet quosdam probabilitatis numeros, quod Bartsch (l. l. p. 15) contendit, non pro genuinis Annaeanis haec verba esse habenda, quod et postea *(contemptores eorum vita, qui non quaerendi sed eligendi sunt)* fere eadem aut simillima dicantur et nullum appareat hiantis commissurae vestigium. Quod quamvis sit verum, tamen et ea, quae delenda esse ille censet, plane genuini sunt coloris Annaeani, et fingi vix potest, cur quis librarius aut grammaticus in re planissima tam multa verba facienda curaverit, et potest Seneca aliquo modo defendi. Videtur enim ita fere ratiocinari: Non magnum aliquod aut non longum in vita metuendum esse multis quae ubique occurrunt exemplis probatur. Nam ultra exsilium et carcerem et supplicium nihil fere cuiquam potest accidere. Atqui eorum malorum singuli possunt contemptores afferri, qui non quaerendi sed eligendi sunt. Itaque oratio procedit per amplificationem veteribus usitatissimam, neque est, cur quidquam deleatur. Similiter etiam postea abundantia quadam utitur Seneca, quod scribit § 9 *Non in hoc nunc exempla congero,* § 11 „nec ex omnibus saeculis contemptores mortis, qui sunt plurimi, colligo."

24, 24. *confirmabis animum vel ad mortis vel ad vitae patientiam. at in utrumque monendi ac firmandi sumus, et ne nimis amemus vitam et ne nimis oderimus, etiam cum ratio suadet finire: sed non temere . . . . cupiendus impetus.*] Madvig maluit *At (atque?) in utrumque monendi ac firmandi sumus, et ne n. a. v. et n. n. oderimus: etiam cum ratio suadet finire se, non temere etc.* Recte illum sententiam divisisse et interpunxisse apparet: sed quod contendit *finire se* de consciscenda morte etiam apud L. A. Senecam dici, id mihi non videtur probasse. Iam cum post *utrumque* ab omnibus fere ll. mss. exceptis p et P addatur *enim* eaque re probabile reddatur plura quam *se* excidisse, sic scribendum esse putaverim: *Ad utrumque enim mon. ac f. s., et n. n. oderimus. Etiam cum ratio suadet finire, certe non temere . . . cupiendus impetus.*

25, 5. *Sic fac, inquit* [sc. Epicurus], *omnia tamquam spectat Epicurus.*] Pro certo affirmaverim cum veteribus scriptoribus scribendum esse *spectat aliquis*, primum quod verisimile non est Epicurum in ipsius epistula ita suo nomine usum esse, deinde quod *Epicurus* nomen facile poterat ex antecedentibus irrepere, tum quod in sententia infra prope iisdem verbis repetita, quo genere dictum aliquod in memoriam redigendi Seneca saepius secutus est (v. infra 6 et 7. 26, 8 et 10 cf. 21, 7 et 6), scriptum est *aliquis*, denique quod etiam in simillima sententia 6, 8 item *aliquis* invenitur. Ac ne illud quidem quisquam audebit infitiari, si scribatur „aliquis", orationem non recte procedere, sed ad initia revolvi: nam etiam hic amplificatione, quam figuram mirum quantum Seneca adamavit, utitur.

---

*) Obss. critt. in L. Ann. Sen. Berol. 1865. p. 14.

26, 3. Longum est Haasii commenta afferre: proficiscar ab ea lectione, quae est in plurimis in iisque optimis codicibus, neglecta ea varietate, quam ex vitiis ortam esse apparet. Sic est: [animus iubet] *dispicere quid ex hac tranquillitate ac modestia morum sapientiae debeam quid aetati et diligenter excutere quae non possim facere, quae prodesse habiturus. atqui si nolim quicquam non posse me gaudeo.* Verba corrupta esse nemo non videt. Iam cum totae paginae sint describendae, si velim, quid et in codicibus scriptum et ab hominibus doctis correctum sit, afferre, satis est nonnulla excerpere. v. Jan scribit (l. l. 13) „(nolim) *proinde* (s. *propere*) *abiturus, si nolim, quidquid non posse me gaudeo*“, quod defendat qui velit, Madvig vix probabilius „*pro peste habiturus aequi si nolim quicquam non posse me gaudere*“, Koch (l. l. 728): *prodesse abituras (vires), utique si nolim, quidquid non posse me video* (! ! !) Ingeniose Schultbess (l. l. p. 45) locum conatus est sic corrigere *(quae nolim) posse, habiturus aequi, si nolim, quidquid non posse me video*, additque „Aequi habere (cf. parvi, magni h.) media est inter duas locutiones communes 'nihil pensi habere' et 'aequi boni facere'“. At „aequi habere“ nusquam invenitur, ne illud quidem „magni, parvi habere“ videtur active dictum esse, sed tantum passive idque rarissime ut Caes. de. bell. gall. 4, 21, 7. *magni habebatur,* Ammian. Marc. 21, 4. *parvi igitur habitis, quae .... scripserat.* „Nihil pensi habere“ vel „non pensi habere quicquam“ alia ratione videtur dictum, quod „pensi“ est genet. partit. ex pronomine nexus. Itaque levissima ll. mss. mutatione Schweighäuserum in nonnullis secutus puto scribendum esse „. . . *quae possim facere, quae nolim posse, habiturus. Atqui, si nolim quicquam, non posse me gaudeo.* Hoc dicit: Animus iubet dispicere, quid ex tranquillitate et modestia mea sapientiae, quid aetati debeam et diligenter excutere, quae non possim facere, quae posse nolim, quamvis habiturus sim facere („facere“ ex antecedentibus supplendum est: habeo facere similiter dicitur ac saepissime, etiam apud Ciceronem, habeo dicere, affirmare, polliceri: quoniam part. fut. verbi „posse“ non exstat, Seneca confugit ad verbum „habere“, durius ille quidem, sed argutiarum aucupio indulgens). atqui, si quid nolo, gaudeo me non posse. Ultimam hanc sententiam adeo vere Annaeanam esse puto, ut ante omnia illam servandam esse censeam. Similiter ille dicit 15, 9 *finem constitue, quem transire ne possis quidem, si velis.* Quomodo si verba constituemus, nihil erit, cur § 4 cum Madvigio *debeat* mutemus in *debebat.* — Quae proposuimus cui non placent, is scribat: . . . *quae nolim, prodige habiturus* i. e. quamvis abunde habeam, unde possim velle (prodige invenitur etiam dial. 7, 20, 4 ac saepius apud Senecam).

26, 4. *non quia aliquid mali ictus et e vita repentinus excessus*] Sic ll. mss.: addunt nonnulli *est* post *mali.* Madvig scribit *non quia aliquid mali continet e vita r. exc.* quod sane non multum distat a ductibus litterarum mss. Sed quam languidum est *continet*, quam perversus ordo verborum *e vita repentinus excessus.* Contra facilius patiaris illum ordinem, si antecedentibus verbis *ictus et* via quodammodo munita sit, praesertim cum ictus esse is maxime dicatur qui aut fulmine tactus est aut alia vi repentina prostratus. Itaque acquiescendum est in lectione mss. addito illo *est.*

26, 8. *sed conficienda sunt sacra.*] Scribendum esse *aera* recte admonuit Madvig.

26, 10. *Meditare mortem, vel si commodius sit transire ad nos. Hic patet sensus: egregia res est mortem condiscere.*] Sic optimi libri mss., nisi quod in P codice cui ante Haasium viri docti primas deferebant, omittitur *si*, in multis aliis scriptum est *transire ad nos vel nos ad eam.* Locus olim prope conclamatus fuit. Nam quod Schweighäuser, cuius sanum iudicium saepissime iure laudatur, restitutum voluit, maxime displicet. Sic est illud: *meditare, utrum commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam.* v. Jan (l. 1, 13) scribit: . . . *mortem, vel si commodius sit transire eam ad nos, hic patet sensus: Egregia* cet. Non ineleganter correxit Madvig *vel, si commodius sic transire ad nos hic potest sensus: Egregia* cet. Tamen facti aliquid et putidi in his verbis esse putaverim. At si memineris sescenties in ll. mss. *vel* et *ut* mutata esse facillime correxeris: *Meditare mortem, ut (sic?) commodius sit transire ad eam,* quae lectio et satis convenit cum ll. mss. et egregie decet Epicurum, suavissimum sapientiae et securitatis magistrum, qui ne mortem quidem aliquid terroris aut incommoditatis afferre vult. Fortasse

pro *sit* scribendum est *possis* cuius verbi reliquiae possunt latere in eo quod plerique ll. mss. habent „. . . *sit* . . . *nos*“.

29, 2. *illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. spargenda manus est.*] Recte vidit probavitque Koch (l. l. 716) scribendum esse *porrigenda manus est.*

29, 8. *vitia eius etiamsi non excidero, inhibebo. non desinent, si intermittent. fortasse autem et desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint.*] Maluit Madvig *si non desinent, intermittent.* Ac primo quidem obtutu coniectura videtur elegantissima esse. Si vero cum pulvisculo excutias, malueris tamen in vulgata lectione acquiescere. Madvigii enim lectione eadem sententia bis iisdem fere verbis repetitur, ut tautologia insit molesta. Contra si vulgatam retineamus, sic procedit oratio: „vitia etiamsi non excidero, tamen inhibebo. Non illa quidem necesse est desinere, si intermittent, sed ad extremum etiam hoc fieri potest, ut intermittendi consuetudine desinant.“ Ex consuetudine tantum sua Seneca vincula orationis abiecit.

II.

1. Brief.
(Der Wert der Zeit.)

Seneca grüßt seinen Freund Lucilius.[1])

Recht so,[2]) mein lieber Lucilius, widme dich dir selbst[3]) und suche die Zeit, welche dir bisher geraubt oder gestohlen wurde oder verloren ging,[4]) recht zusammenzuhalten. Sei überzeugt, daß es so ist, wie ich schreibe: einige Zeit[4]) wird uns entrissen, einige entzogen, einige enteilt. Am schmählichsten ist jedoch der aus Nachlässigkeit entstehende Verlust. Und wenn man nur darauf achten will,[5]) so entschwindet der größte[6]) Teil des Lebens mit Übelthun, ein großer mit Nichtsthun und das ganze Leben mit un-

---

[1]) So lautet nach römischer Sitte die Überschrift aller Briefe. Der Raumersparnis wegen möge sie bei den folgenden Briefen fortbleiben. Es ist als ziemlich gewiß anzusehen, daß obiger Brief im Jahre 62 n. Chr., nicht allzulange vor dem Dezember geschrieben ist. Denn nach dem 8. Briefe war Seneca schon aus seiner hohen Stellung am Hofe seines ehemaligen Zöglings Nero völlig ausgeschieden, was nach **Tac. ab exc. d. A. 14, 52 sq.** i. J. 62 geschah, und der 18. Brief ist, wie der Anfang lehrt, im Dezember geschrieben. Namentlich aber die erste Gruppe der Briefe ist in rascher Reihenfolge hinter einander geschrieben. — [2]) ***Ita fac.***] Dieser Brief ist (s. § 2) Antwort auf einen Brief des Lucilius Junior, der, ein etwas jüngerer Freund Senecas, und Verf. des noch erhaltenen Gedichts Aetna, beim Beginne des Briefwechsels Procurator Siciliens war. Fast sämtliche Briefe Senecas beziehen sich auf vorangegangene Briefe des Lucilius. (Bartsch, Zur Kritik der Brr. Senekas, Anklam 1870 S. 6). Doch hat Schultheß a. a. O. S. 29 ff. überzeugend dargethan, daß Seneca nicht auf jeden Brief einzeln geantwortet hat. — [3]) ***vindica te tibi.***] Lipsius bringt dies in seiner Ausgabe fälschlich mit der Phrase **in libertatem vindicare** „befreien“ zusammen. **sibi vindicare** „für sich beanspruchen“, bei Cicero selten, bei Seneca häufig z. B. **Nat. quaest. 1, 1. 11** u. ö. Obiges erinnert also an **ep. 6, 7** ferner an **Hor. ep. I. 18. 101 quid te tibi reddat amicum, 107, et mihi vivam, I. 14. 1 mihi me reddentis agelli** u. a., wie sich überhaupt Horaz und Seneca in ihren Gedanken und Ausdrücken, namentlich hinsichtlich des Strebens nach völliger Selbständigkeit und Innerlichkeit, vielfach berühren, und gehört in den Kreis jener bei Seneca immer wiederkehrenden Gedanken, in denen gemahnt wird, das Glück nicht in äußeren Dingen, sondern im eigenen Selbst zu suchen. Hier war diese Mahnung um so berechtigter, als Lucilius gewiß durch seine mannigfaltigen Geschäfte vielfach von der Beschäftigung mit sich selbst abgehalten wurde. Erst damals mag er sich, durch Senecas Einfluß bestimmt, dem Studium der Philosophie lebhafter gewidmet haben. — [4]) ***auferebatur, subripiebatur, excidebat.***] Im ersten überwiegt der Begriff äußerer Nötigung, im zweiten das Verstohlene, Unvermerkte, im dritten die Nachlässigkeit. Zur Sicherstellung des Sinns erläutert der geistvolle Verf., der auf kunstvolle Perioden weniger Wert legt, als auf fein zugespitzte Worte, und denselben Gedanken oft mannigfach wendet, die obigen drei Worte durch drei andere sinnverwandte, von denen das zweite und dritte sogar in den Präpositionen (**sub** deutet oft das Unvermerkte, **ex** das Abkommen vom Zugehörigen an) mit den vorhergehenden übereinstimmen. — [5]) Hier ist etwa „so wirst du sehen, daß . . .“ zu ergänzen. Derartige Ellipsen sind nach Vordersätzen mit **ut, ne, si** und **quod** nicht selten. — [6]) Die Begründung der Lesarten s. in diesem, wie im vorigen Falle, im vorhergehenden Teil.

gehörigen Dingen [7]). Wen kannst du mir zeigen, der auch nur einigen Wert auf die Zeit legt, die Tage gebührend achtet und es begreift, daß er täglich stirbt? Denn darin täuschen wir uns, daß wir den Tod nur in der Ferne erblicken [8]): ein großer Teil desselben ist schon vorüber. Alle Lebenszeit, die hinter uns liegt, ist dem Tode verfallen. Mach' es also, mein lieber Lucilius, so, wie du schreibst: nimm eifrig alle Stunden wahr [9]): dann wirst du weniger vom Morgen abhängen, wenn du die Hand an das Heute legst. Wenn man immer aufschiebt, eilt das Leben vorüber. Alles, [10]) Lucilius, ist fremdes Gut, nur die Zeit ist unser. Das ist das einzige flüchtige und schwankende Gut, in dessen Besitz uns die Natur gesetzt hat, und aus dem sich jeder, der den festen Willen hat, nicht austreiben läßt. Und doch ist die Thorheit der Menschenkinder so groß, daß sie sich den Empfang der unbedeutendsten und wertlosesten Dinge, die sicherlich vergütet werden können, [11]) anrechnen lassen, hingegen niemand, wenn er Zeit erhalten hat, [12]) etwas schuldig zu sein glaubt, während doch [13]) diese allein auch ein Dankbarer nicht zurückgeben kann.

Du fragst wohl, was ich thue, der ich dich also mahne. Ich will es dir offen gestehen: es geht mir wie einem, der viel Aufwand macht, doch sorgfältig aufpaßt: mein Ausgabenkonto ist in guter Ordnung. [14]) Ich kann nicht sagen, daß ich keinen Verlust habe, wohl aber, was, warum und wie ich verliere; ich kann, denk' ich, [15]) die Ursachen meiner Armut angeben. Doch ergeht es mir wie den meisten nicht durch eigene Schuld in Not Geratenen: alle haben Nachsicht, niemand aber hilft. Wie steht es also? [16]) Ich halte den nicht für arm, dem das wenige Übriggebliebene genügt. Du aber erhalte dir lieber [17]) deine Habe und fange damit ja bei guter Zeit an. Denn zu spät, so meinten unsere Ahnen,

---

[7]) *alud agentibus.*] Im Gegensatz zu hoc oder id agere „sich aufmerksam mit Vorliegendem beschäftigen" heißt alind agere fremde, ungehörige Dinge (Allotria) treiben, unachtsam sein. Ein ähnlicher Gegensatz ist im Griechischen *τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν*, worin Plato, Staat 433 A das Wesen des Rechtthuns setzt. — [8]) Ausführlicher ep. 24,19 ff. Dort sagt Seneca mit Anlehnung an einen Gedanken des Lucilius: „Täglich sterben wir, denn täglich entschwindet ein Teil unseres Lebens. Selbst während wir zunehmen, nimmt unser Leben ab. Die Kindheit haben wir dahingegeben, dann die Jugend, dann das Mannesalter. Bis zum gestrigen Tage ist alle vergangene Zeit dahin. Selbst den Tag, den wir jetzt erleben, teilen wir mit dem Tode. Wie die Wasseruhr nicht der letzte Tropfen leer macht, sondern auch alle vorher abgeflossenen, so bringt auch nicht die letzte Stunde allein, in der unser Dasein aufhört, den Tod, sondern allein seinen Abschluß. Dann kommen wir zu ihm hin, aber wir kommen seit lange. Schließlich führt dort Seneca einen Hexameter des Lucilius selbst an:

„Nicht ein Tod nur erscheint; der uns hinrafft, ist nur der letzte".

[9]) *complectere*] darin ist zugleich das Zusammenhalten der Zeit angedeutet. — [10]) *Omnia*] rhetorisch, denn nur von den außer dem Geist liegenden Gütern ist hier die Rede, daß die inneren nur von uns selbst abhängen, ist einer der am häufigsten bei Seneca wiederkehrenden Gedanken. Selbst den Körper aber besitzen wir hier nur als Fremdlinge und alles Äußere nur als geliehenes Gut, vorübergehend (ep. 120, 16 ff): nachdem wir es als eine Bürde wie Fremdlinge getragen, legen wir es beim Tode, welcher der Geburtstag der Ewigkeit ist, ab; nur der Geist bleibt und wird dann die Geheimnisse des Weltalls schauen. — [11]) *reparabilia*] Dinge, für die man andere Werte, bezw. Geld zahlen kann. — [12]) *qui tempus accepit.*] Der Sinn ist etwas dunkel. Zunächst steht fest, daß dies in ein den Römern sehr geläufiges Bild hineingefügt ist, welches hier weiter ausgeführt wird. Die Römer führten nämlich mit der größten Sorgfalt ihre tabulae accepti et expensi, das Konto der Einnahmen und Ausgaben. Wie aber kann man Zeit vereinnahmen? Olshausen meint in den Anmerkungen zu seiner Übersetzung, dadurch, daß man die Zeit erfordernden Dienste anderer annimmt, was schwerlich richtig ist. Vielmehr ist hier daran gedacht, daß wir der Natur, d. h. nach stoischer Ansicht der Gottheit für die Zeit, welche sie uns giebt, Dank schulden. — [13]) *interim*] in dieser Bedeutung schon bei Cicero, in der silbernen Latinität häufig. Man vgl. unser „indessen = aber, jedoch, und selbst cum = während doch.

[14]) *impensae.*] Das Bild wird wieder aufgenommen: impensa statt expensum. — [15]) *dicam . . . . . . reddam*] gemilderte Behauptung, nicht Futurum, da im Folgenden sonst die Ursachen angeführt sein müßten. — [16]) *Quid ergo est?*] nicht zu verwechseln mit Quid ergo?, das teils, wenn man jemand ad absurdum führen will, teils in der ruhigen Erwägung üblich ist. — [17]) *malo*] Olsh. hält dies für das Adjectiv und verbindet es mit tempore. Dies ist schon unmöglich, weil serves

kommt die Sparsamkeit, wenn es an die Neige geht.[18]) Ist doch das nicht nur der geringste, sondern auch der schlechteste Teil, der auf dem Boden zurückbleibt.

2. Brief.

Das Lesen.

Nach dem, was du mir schreibst, und was ich höre, hege ich günstige Hoffnungen für dich. Du eilst nicht hin und her und machst dir nicht durch Ortswechsel Unruhe. Eine derartige Beweglichkeit verrät ein krankes Gemüt. Für das erste Zeichen eines wohlgeordneten Geistes halte ich es, daß man sich irgendwo festsetzen und bei sich selbst verweilen kann.[1]) Das aber bedenke, ob dein Lesen von zahlreichen[2]) Schriftstellern[3]) und von Büchern aller Art nicht etwas Unstätes und Schwankendes bekommt. Bei bestimmten großen Geistern muß man verweilen und sich von ihnen nähren lassen, wenn man sich etwas aneignen[4]) will, was treu im Geiste haftet. Nirgends ist, wer überall ist.[5]) Leute, die ihr ganzes Leben auf Reisen zubringen, haben in der Regel viele Gastfreunde, aber wenig Freunde. Das gleiche Geschick muß notwendig denen zu teil werden, die sich keinem hervorragenden Geiste innig hingeben, sondern an allem nur flüchtig und eilend vorübergehen. Eine Speise nützt nicht und geht nicht in den Körper über, die, wenn sie genossen ist, alsbald wieder ausgeschieden wird. Nichts ist der Gesundheit so hinderlich, wie häufiges Wechseln mit der Arznei. Eine Wunde vernarbt nicht, wenn man an ihr die Heilmittel erproben will. Ein Setzling wird nicht kräftig, wenn er wiederholt umgesetzt wird.[6]) Nichts ist so nutzbringend, daß es, flüchtig gebraucht, hilft. Eine große Masse von Büchern zerstreut. Kann man also nicht alles lesen, was man besitzt, so genügt es, wenn man alles, was man liest, auch besitzt.

„Aber ich möchte gern", sagst du, „bald in diesem, bald in jenem Buch blättern."[7]) Es ist ein Zeichen von Übersättigung des Magens, wenn man von vielem kostet. Ist dies dann recht verschieden, so verdirbt es den Magen, anstatt zu ernähren. Darum lies immer bewährte Schriftsteller, und hast du

---

Conj. Praef., incipies (so nach den besten Handschriften) Ind. Fut. ist. Vielmehr ist malo Verb. Seneca hat am Hof viel Zeit verloren und möchte darum lieber, daß sich Lucilius seinen Besitz (an Zeit) erhält und damit bei guter Zeit den Anfang macht. — [18]) *sera*] prädikativ, vgl. Hesiod, Ἐργ. κ. ἡμ. 369 δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

